



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 4. Duo genera loquendi, quibus Latini poëtæ vtuntur, à Græcis
accepta esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

perspici queat. Ita ergo loquitur Polydorus in Hecuba:

φειδ. ὦ μῆτερ ἦπις ἐκ προσηνικῶν δόμων,

vbi illud φειδ, extra versum est, ab histrione additum.

& in eadem Agamemnon:

Εα. Πολυμήσορ ὦ δύσανε, τίς σ' ἀπόλεσεν;

& Clytæmnestra in Iphigenia in Aulide:

φειδ. Πῶς αἶ σ' ἐπαινήσαιμι μὴ λίαν λόγῳ;

& Medea:

Εἶεν. καὶ δὴ τεθναῖ τίς με δέξει πόλις;

Sed talia multa colligere, nihil negotij fuerit. Vt ergo illa φειδ, εα, εἶεν, sunt extra versum; sic & illud, In ius? eiusdem generis esse apud Terentium puto.

Duo genera loquendi, quibus Latini poëta vtuntur,
à Græcis accepta esse. CAP. IIII.

VIRTUTEM Catonis pro Catone ipso dixit Horatius in hoc versu,

Narratur & magni Catonis

Sapè mero caluisse virtus.

& alibi quoque eodem genere loquendi vsus est:

Virtus Scipiada, & mitis sapientia Læli.

Dictum autem id est ad Græcorum poëtarum consuetudinem, qui βίλω ἠερακλειῶν, & βίλω ἰφικλειῶν pro Hercule & Iphiclo dicunt, ad eundemque modum alia multa: quod & alij notarunt, & Plutarchus in lib. aduersus Coloten. sed & eiusdem generis est, quòd Turni corpus pro ipso Turno Virgilius dixit,

— quo pulchrior alter

Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

ita enim & Eurip. Εγὼ τὸ μὲν σὸν σῶμα ὑφ' ἔπερ ἦν τύχῃ,

Σάξεν ἐτοιμὸς εἶμι. & alibi:

Ἄλλ' εἰσορῶ ἴδ τεδὲ δευπότε δέμας

Ἀγμύμονο.

& in Phœnissis, *σὺν δέμας ἀνεώκειν* Q. ut ergo illi Græca dicendi genera exprimebant, ita facere oporteret eos, qui se nostris temporibus poetas perhiberi volunt.

Aris Corinthij temperatura quomodo inuenta.

CAPVT V.

SUPER are Corinthio, quænam illius origo fuerit, varia tradita sunt ab antiquis. Plinius casu mistum esse ait, Corintho, cùm caperetur, incensa. L. quoque Florus eandem sententiam sequitur, à quo ita hæc de re scriptum est: *Aris notam pretiosiore ipsa opulentissime vrbs fecit iniuria: quia incendio perustis plurimis statuis atque simulacris, aris, auri, argentiq, vena in commune fluxere.* At alij vnã modò antiquis temporibus domum Corinthi arsisse dicunt, in qua cùm auri argentiq, nonnihil inesset, aris autem magna vis, commista illa, & in eandem confusa massam, ex eo metallo cuius maior inerat pars, Corinthij aris nomen acceperint. Alij etiam, quod propius ad veri similitudinem accedere videtur, narrant, ærarium quendam fabrum Corinthi fuisse, qui cùm incidisset in thecam auri plenam, eamq, sibi abstulisset, ne id resciretur, metuens, dissectum in minutas particulas aurum paulatim æri admiscuerit, admirabilemque illam temperaturam effecerit, qua magnas sibi opes postea comparauit.

Indicata vetus scriptura duum locorum è libro secundo De Diuinatione.

CAP. VI.

BENE & emendatè scriptus erat in veteribus libris locus hic è secundo De Diuinatione: *Ad nostri augurij consuetudinem dixit Ennius:*

Quom tonuit lauum bene tempestate serena.

At Home-